

idea reproducta non recognoscatur, fit propterea, quod phantasia ideas consociatas non reproductit (§. 2c. cor. 3.) id autem ab inbecillitate phantasiae proficisci in aperto est: ergo obliuio ex imbecillitate phantasiae oritur.

*Schol.* Cum instauratam rei ideam non recognosco, ajo *me rei non meminisse* (§. 39.); hoc igitur et obliuioni commune est. At dum ideam refectam non recognosco, fieri potest, ut plane mihi conscius non sim, me ideam praesentem iam alias habuisse, atque istud vero sensu significo dicendo: *me non meminisse*: fieri quoque potest, ut me hanc ideam iam olim habuisse mihi conscius sim, aduertamque simul impotentiam reproductendi ideas consociatas, ac tum *me oblitum esse pronuncto*. Certe ante, quam impotentiae huius nobis conscius simus, nos rei oblitus esse minime cognoscimus, neque impotentiae huius conscii esse possumus, nisi aduertamus nos rem, cuius ideam nunc aut non recognoscere, aut plane non reproductere possumus, iam olim percepisse. Vidisti olim belluam peregrinam, exempli causa, rhinocerotem, et meministi etiamnum te vidisse, vel quod recordaris horum verborum, *vidi rhinocerotem*, vel quod illud in adversariis anodatum deprehendis. Quaerat jam quis ex te, cuius formae illa sit bellua, vel ipsam etiam coram exhibeat; tu vero ejus ideam reproductere, aut praesentem recognoscere non ualeas, nequaquam nimirum conscius, num rhinoceros, quem te vidisse certo scis, sit ejusmodi bestia; nonne respondebis *oblitum* te esse, quale animal rhinoceros sit? Quodsi autem prorsus tibi conscius non fores rhinocerotem unquam a te visum fuisse, reponeres certe te *non meminisse*, utrum rhinoceros tibi aliquando in conspectum venerit; *oblitus* nimirum, et simul huius *obliuionis ignarus*, cum nescias vidisse te iam alias rhinocerotem. Manifeste igitur patet, status hos animae diversos, esse in quorum altero rei non meminimus, in altero oblitus esse profitemur.

QUID REVOCARE IN MEMORIAM?

XLVI. Illud mihi alterum in *memoria* *revocare* dicitur, quod cum altero olim simul perceptum, nunquam iterum menti praesens efficit, ut alterius idea instauretur, atque recognoscatur. Si porro idea haec rursus alterius refingenda, ac recognoscenda, et sic ulterius, occasionem praebet, habebit *successiva unius per alterum in memoriam revocatio*.

*Schol.* Successivam hanc in memoriam revocationem fieri posse ex iis, quae de imaginatione dicta sunt, satis manifestum est; ponamus enim me olim percepisse simul seriem idearum *a, b, c, d, e, f*, fieri utique poterit, ut recurrens idea *a* efficiat, ut in mea mente idea *b* reproductatur, et recognoscatur; idem de redeunte idea *b* comparate ad ideam *c*, et de hac ad *d*, sic porro affirmari posse nemo negabit. Id speciatim contingit, si mihi magis conscius sim me *a* cum *b* simul percepisse; tum *b* cum *c*, *c* cum *d*, *d* cum *e*, *e* cum *f*; hoc quippe in casu idea recurrens *a* non efficit, ut alia refingatur,

quam *b*, nec *b* praebet occasionem alterius reproductendae, quam *c*, et ita porro (§. 31. cor. 2.).

QUOD REMINISCENTIA?

XLVII. *Reminisci* dicitur, cum ope successivae unius per alterum in memoriam revocationis ideam, quam cupimus, quamque sine hoc adjumento reproductere, vel saltem recognoscere non possumus, reproductimus, aut recognoscimus. *Reminiscencia* igitur est facultas ope successivae unius per alterum in memoriam, revocationis reproductendi, vel recognoscendi ideas olim habitas.

*Coroll.* Est ergo reminiscencia adjumentum quoddam memoriae, quin et phantasiae; efficit enim ut suo fingatur munere etiam tum, cum non suffulatae id praestare non valeret.

*Schol.* Non gratis ista dici quotidiana experientia testatur; inde enim est, quod, dum vel cupispiam reminisci cupimus, confugiamus ad adjuncta loci, et temporis, et saltem recognoscere non possumus, simul perceptas, vel etiam oppositas animo aduertamus, dum tandem voti damnemus. Ita occurrit mihi quidam, quocum plures ab hinc annos negotium aliquod tractavi; ego illum optime, ipse minime me amplius noscit: quid facio? commemorare civitatem, donum, tempus, rationem confecti negotii, aliaque similia; atque hic idem demum efficio, ut mei reminiscatur. Haec de facultate cognoscendi inferiore: jam ad superiorem transeamus.

MEMBRUM II.

DE FACULTATE COGNOSCENDI SUPERIORE.

QUOD ARGUMENTUM HUIUS MEMBRI?

XLVIII. Ad facultatem cognoscendi superiorem, quas ideas distinctas animo informamus (§. 7.), praeter facultatem attendendi, et reflectendi, intellectus praecipue, et ratio pertinent: de his igitur primum: tum vero de habitibus generatim acceptis, exemplo Wolfii, Daresii, Boehmii, aliorumque inductus, paucis agam; quamvis enim aliis quoque omnibus animae facultatibus habitus competere queant, vix tamen aptior huic pertractationi locus in psychologia assignari potest. Atque istud est alterius huius membri argumentum.

*Schol.* Enimvero et memoria superiori huic facultati propria est, nam non minus ideas distinctas olim habitas, et rursum intellectus operatione reproductas recognoscimus, quam confusas per sensum, aut phantasiae instauratas. Verum quae supra de memoria quam discernimus causa *sensitiva* compellere licet, allata sunt, cum proportione ad hanc, quam *intellectualem* vocamus, applicari possunt, ut adeo nihil, quod speciatim dicitur, superstit.

## CAPUT I.

## De Facultate Attendendi, et Reflectendi.

## QUID FACULTAS ATTENDENDI ET ATTENTIO?

**XLIX. Facultas attendendi** ea est, qua efficere possumus, ut una prae pluribus ideis simul menti obversantibus clarior reddatur, ac vel ideo magis a nobis appercepiatur. Actus, quo id obtinetur, dicitur *attentio*, quae semper cum *abstractione* consociata est; nequit enim mens, quasi tota in una idea contemplanda desigi, quin hoc ipso avocetur ab aliis simul praesentibus; *abstrahere* autem est avocare a re quapiam contemplanda (§. 61. log.). Facultas igitur *attendendi* est simul facultas *abstrahendi*, eamque nobis inesse sensus intuitus testatur.

**Coroll.** Perceptio clarior fortior est (§. 19. sch.), et debiliores retundit, quantummodum de sensationibus dictum est (§. 20.) quantum igitur claritatis per attentionem uni additur, tantum aliis demitur, ac proinde etiam quo major est attentio, eo perfectior est abstractio.

**Schol.** De abstractione videatur Lockius (*Essai conc. l'enten. hum.* l. 1. ch. 21. §. 4. et 72.). Ceterum facultatem hanc in summis ab auctore naturae collatis nobis beneficiis nomenrandam esse nemo non videt; nisi enim mentem nostram ab aliis avocare, et ad alia convertere licet, ipsa in omnes partes distraheretur, nosque stupore perpetuo, somno quam vigilae similiori occuparemur.

## AD IDEAM CLARIOREM FACULTATUM ATTENDITUR.

**L. Quo clarior per sese est idea, eo facilis, quo minus clara cum difficilius ad eam attenditur.** Major quippe ideae claritas jam per se aliis praesentes hebetat (§. praec. cor.), atque simul claritatem per attentionem procuranda conspirat; contra vero idea minus clara ab aliis clarioribus debilitatur, et ab his propterea mens difficilius avocatur.

**Coroll. 1.** Attentio ad phantasmata praesentibus sensationibus, utpote fortioribus (§. 32.), difficilior evadit, inde solemus claudere oculos, loca obscuriora petere, et sensationum objecta removere, cum volumus phantasmatis mentem applicare (conf. Scit. cor. 2.).

**Coroll. 2.** Generatim attentio in re determinata eo difficilior igitur, quo plures aut fortiores vel simul adsunt, vel sibi celeritate succedunt sensationes, aut phantasmata.

**L1. Attentio gradus admittit.** Quo enim diutius in eadem re refideri potest; quo pluribus ideis simul contemplandis sufficit; quo minus ab objectis externis organa sensoria efficientibus impeditur, eo major est attentio: quae veritas per se patet, nec ulteriore demonstratione eget.

**Schol.** Diversos hos attentionis gradus mirum quantum experientia conestatur, dum enim alius in re quapiam contemplanda ita inveni-

tem defigit, ut vix sensationum etiam fortiorum sibi conscius sit, alius minime quovis aerae tenuis sibile a contemplatione avocatur; dum alius longissimo tempore attentionem retinere valet, alius vix uno, vel altero momento id praestare, neque paullo longiorem demonstrationem attente percurrere potest; dum alius ad res quam plurimas simul, aut ad res quas vis sine discrimine attendit, alius vix uni, aut alteri rei contemplandae sufficit, neque attentionem adhibere potest, nisi ad certum objectorum genus, de aliis si quid addiat, aut legat, mente evagatur. Archimedes ferunt contemplatione figurarum geometricarum in pulvere descriptarum ita abreptum fuisse, ut militi romano, qui captis jam Syracusis ipsum confossurus cubile intraverat, illud sibi solene occurrerit, *non turbare meos circulos*. Julium Caesarem, ajuat, septem diversas, aut si ipse simul scriberet, quatuor epistolas calamo excipiendas dictasse. Universim observatum est pro ratione voluptatis, quam quis ex certo rerum genere haurit, attentionem fere majorem esse; nempe et hic locum habet illud: *trahit sua quemque voluptas*. Sed et dubio carei, exercitatione sedula plurimum perfici attentionem; qui in dies, aut saltem frequentius demonstrationibus geometricis, aut metaphysicis praesertim longioribus accurate expendendis operam dederit, exiguo tempore in retinenda attentione se plurimum profecisse comperiet. Optarim, ut philosophia tirones istud alte animo insculpat, sibi quoque serio persuadeant, nullum se in disceptationis sublimioribus progressum facturum, nisi juveniles impetus cogreant, omnemque laborem eo conferant, ut meditari, attentionemque longo etiam tempore in una re expendenda retinere condiscant.

## QUID FACULTAS REFLECTENDI ET REFLEXIO?

**LII. Facultas reflectendi** est facultas attentionem successive per singulas ideas partiales ex quibus composita confatur, ducendi ita ut attentio primum rem ipsam perceptam, tum in varia, quae in re illa insunt; denique etiam in ordinem eorum, et conjunctionis modum dirigatur; haecque successiva attentionis directio *reflectio* audit. Facultatem hanc animae nostrae competere rursus sua quemvis experientia docet.

**Coroll.** Quae de attentione dicta sunt, ad reflexionem quoque pertinent.

## ANIMA POTEST SUPER SE REFLECTERE.

**LIII. Anima super se ipsa reflectere potest.** Est enim anima sui, id est, eorum, quae in se insunt, sibi conscia: igitur ea, quae in se insunt, percipit; quod si vero, ita, poterit et ipsa ad partialem aliquam in hac composita ideam attendere, et hanc attentionem successive per reliquas ducere; quare cum hoc sit reflectere, anima potest super se ipsa reflectere.

**Coroll. 1.** Anima igitur ope reflexionis suas facultates, actiones, reliquasque, quae in ipsa eventant, mutationes, ut dolorem, tristitiam,

gaudium percipit. Quin haec unica est via, qua ad horum cognitionem devenire naturaliter possumus, at ipsa haec psychologiae pars docet.

**Coroll. 2.** Reflexio hic generatim definita est, omnesque actus, qui eam ingrediuntur, *reflexi* dici solent: horum igitur species sunt in actus reflexi, quibus anima suas affectiones percipit, atque ideo etiam idea reflexa (§. 74. log.) velut species sub reflexione hic genericè sumta continetur.

PER REFLEXIONEM IDEAE INTER SE COMPARANTUR -- ET DISTINCTAE EFFICIUNTUR.

**LIV.** Reflexionis ope res perceptas inter se comparamus. Res perceptas inter se comparare dicimus, cum earum identitatem, aut diversitatem generatim, ac nominatim aequalitatem, aut inaequalitatem, similitudinem, aut dissimilitudinem percipimus; sed reflexionis, ope, cum nimirum super rebus diversis perceptis reflectimus, attentionem directam, primum in singulas, tum in duas, tres, et plures denique simul, rerum perceptarum identitatem aut diversitatem, similitudinem, aut dissimilitudinem, aequalitatem, aut inaequalitatem percipimus: igitur ope reflexionis res perceptas inter se comparamus.

**LV.** Reflexionis ope distinctas rerum ideas efformamus. Cum attentionem per singulas partiales ideas, ex quibus idea composita consistit, circumducimus, efficiamus utique, et ideae ille partiales clarae fiunt, atque adeo ut idea illa composita ex ideis partialibus clarae constet, atque id genus idea est distincta (§. 55. coroll. log.): ope igitur reflexionis ideas distinctas efformamus.

**Coroll. 1.** Simili modo patet, ex ideis jam distinctis reflexionis adminiculo adequatas conferri.

**Coroll. 2.** A besque reflexione ideae solum confusae sunt, ac proinde sensationes, et imaginationes, etsi maxime clarae, distinctarum tamen idearum perfectionem minime attingunt.

**Schol.** Quamvis vero facultas attendendi, et reflectendi hoc capite descripta ad superiorem cognoscendi facultatem pertineat, non tamen propterea ignobilior, quaedam attentio, et reflexio inferiori denegari posse videtur: quis enim infideliter, aliquam confusam etiam ideis attentionem adhiberi a nobis posse? Certe non quaevis attentio sine ordine hinc inde discurrere continuo ideas distinctas efficit. Quare illis quoque entibus, quae solum inferiore cognoscendi facultate pollent, attentio quaedam, atque reflexio imperfectior, vel si mavis, *analogum* quid attentionis, et reflexionis, quod vocabulum infra illustrabitur, tribui potest.

## CAPUT II.

### De Intellectu.

#### QUID INTELLECTUS?

**LVI.** Intellectus est facultas res distincte representandi, sive per ideas distinctas percipiendi. Quoniam igitur anima nostra facultate

reflectendi praedita est (§. 52.), atque hujus adminiculo ideae distinctae conformantur (præc.), consequens est, ut ipsa quoque intellectu polleat.

**Schol.** Vocabuli *intellectus* latior fuit apud veteres potestas; totam enim cognoscendi facultatem eodem indicarunt, nec nisi duas facultates, intellectum nimirum, et voluntatem animae tribuebant, quibus tamen nonnulli tertiam, memoriam videlicet, adjuverunt. At vero si vulgarem usum spectemus, facile cognoscemus, eum solum quidpiam *intelligere* censei, qui rem cum notis suis distincte sibi repraesentat; quemadmodum etiam ille duntaxat rem *intelligenter* explanat, qui singulas rei notas distincte alteri velut ante oculos ponit. Ex his porro conficitur, quamvis ideam, quae quidem distincta sit, id ipsum intellectui debere; quare si idea sensuualis quandoque distincta fit, ea sensu efficitur; ab intellectu autem distincta redditur. Neo est quod quis istud miretur, facultates enim mentis nostrae, quamvis separatim explicari in philosophia debeant, non tamen semper etiam seorsum suas operationes exercent, sed ut plurimum in operando concurrunt, et consociantur.

#### QUAE, ET QUOTUPLEX INTELLECTUS PERFECTIO?

**LVII.** Quo plures res, quoque distinctius, et facilius easdem intellectus representare potest, eo major, et perfectior est Perfectio, quae a quantitate objectorum, sive rerum representandarum, *materialis* seu *objectiva*; quae vero a modo, seu quantitate distinctionis in representando, et facilitate desumitur, *formalis* dicitur.

**Coroll.** Intellectus igitur, qui omnia cognoscibilia distinctissime representat, est tam materialiter, quam formaliter perfectissimus, et proinde infinitus, qualem nostrum non esse sua quemvis experientia docet.

**Schol.** Divisio quantitatis, sive perfectionis in materialem, et formalem, quam hic intellectui tribuimus, ad reliquas omnes animae facultates cum proportione applicanda est; semper enim distingui debet id, quod agitur, a modo, et facilitate, qua agitur, illudque actionis *materiale*, hoc *formale* a philosophis nuncupatur. Vid. Dariesius (*Psych. emp. s. 1. c. 1. §. 1. cor.*). Neque mirandum facultatibus animae quantitatem tribui: sunt enim eae qualitates quaedam (not. §. 31.); cuius autem qualitatis quantitas, quae gradus est (ib. 32.), competit.

#### QUID ACUMEN ET PROFUNDITAS?

**LVIII.** *Acumen* est facultas facile, et promptè multam uno, eodemque objecto discernendi. *Profunditas* est facultas notas distinctam ideam ingredientibus in simpliciores resolvendi, ac proinde aliud non est quam acumen ab objecto ad eas notas, et ab his ad ipsarum notas ulterius promotum.

**Coroll.** Magna intellectus quantitas formalis postulat, ut cum facilitate distinctas admodum ideas conformet (§. præc.) ad quod acu-

mine, et profunditate opus esse nemo non videt: haec igitur ad magnam intellectus quantitatem formalem pertinent, ac diversae ejusdem determinationes sunt.

QUID INGENIUM?

LIX. Acumen, quo rerum similitudines aut aequalitates deteguntur, *ingenium* dicitur; quod adeo facultas est facile, et prompte similitudines, et aequalitates rerum distincte percipiendi, illudque menti competere experientia probat.

*Schol.* Ad perspicendas distincte rerum similitudines, et aequalitates acumen opus esse ex eo intelligi potest, quod ea, in quibus res similes, aut aequales sunt, et ab iis in quibus ipsae differunt, et ab ipsis etiam rebus discerni debeant, in quod acumen praestat (§. praec.). Ita qui inter fumum, et vitam humanam similitudinem intercedere intelligit, discernere debet notas similes utrique contententes, quod nempe brevi, et levi de causa dissipentur. Experientia quidem docet rerum similitudines, et aequalitates nonnumquam confuse solum percipi, quemadmodum in obtigisse videtur, qui prima vocabula gegerunt, et species rerum constituerunt: at haec facultas non tam ingenium, quam ejus *analogum* vocari meretur, et ad facultatem inferiorem pertinent (conf. §. 53. sch.). Quod vero ad stabilitatem vocabulis definitionem attinet, legitimam eam esse, et accommodatam quoque ad usum communem: vel ex eo patet, quod vulgo oratores, cum allegorici sermonem exornant; et poetas, cum crebrius similitudines adhibent, *ingeniosus* dicere soleamus. Nec dissentit auctor ad Horennium (*L. 1. c. 4.*), cum ait: *michi vero dociles ingenio valere videntur, quod quo factilius rerum discrimina, et similitudines animadvertunt, ea promptius concipiunt, animisque insigunt, quae viso, auditque usurpant.* Nolim tamen illos capere, qui eodem vocabulo ad eam mentis constitutionem, quae ex determinata facultatum cognoscitivitatem inter se proportionem enascitur, atque a Gallis *Genie* dicitur, significandam utuntur; conciliari enim possunt, si cum Baumgarteno (*Met. p. 3. c. 1. §. 572. et §. 649.*) illud *ingenium strictius*, hoc *latius* dictum appellaveris. De ingenio hoc latius dicto plura scitu digna invenies apud Riedelium (*Theoria der schoneu Künste, und Wissenschaften §. 21.*), Mejerum (*Theoret. Lehre von den Gemüthsbeweg. §. 115.*), aliosque viros egregios, qui de elegantiori litteratura praecare meriti sunt.

QUOTUPLEX INGENIUM?

LX. Ingenium *vulgare* dicitur, quod patentibus solum, et plane obvis similitudinibus aut aequalitatibus perspicendis sufficit; *subtile*, quod etiam magis reconditas detegit: *rectum*, quod veras; *superficialium*, quod apparentes solum rerum similitudines, aut aequalitates praecipue capiat, ac sibi, quae nusquam sunt, perspicere videtur.

*Schol.* Meretur hic praecipuo legi Malebranchius (*Recher. de la vérité l. 2. p. 2. c. 9. §. 1. 2. 3.*), cum de ingenis rectis, et superficialis, quibus *effeminata* adjungit, fusius agit. Ostendit ibi clarissimus auctor, eorum plerumque, qui sub nomine *beau esprit* hac nobis aetate noti sunt, quosque multi ut profundissimae eruditionis prodigia venerantur, ingenia effeminata solum, et superficialia esse; quod quidem in Voltaireum, Roussevium, aliosque ejus generis scriptores egregie dictum est, qui videlicet facta sermonis elegantia, et precariis quibusdam rationculis mixti, quidquid res publica, et religio sanctum habet, ore temerario arrodunt.

QUID INTELLECTUS PURUS ET IMPURUS.

LXI. Cum intellectus ea gaudet profunditate, ut in distincta notatur, quae in objecti notis insunt, representatione nihil prorsus obscuri, aut confusi remaneat, *purus* dicitur, in casu opposito *impurus*.

MENS CUM CORPORE COPULATA NON UTITUR PURO.

LXII. *Mens nostra, quamdiu cum corpore copulata est, intellectu perfecte puro non utitur.* Dum ideae confusae, et obscurae a sensu, et phantasia efficiantur, intellectus purus esse nequit, nisi hujus operationes ab illorum operationibus prorsus separantur; atque hoc, quamdiu anima corpori adstricta est, fieri nequit; quia enim ideae innatae in nobis non dantur, ut infra ostendam, necesse est, ut omnis intellectus actio circa ideas sensu, aut phantasia acquisitas versetur, nostrarumque idearum analysis in iis terminetur, quae ope sensuum confuse percipimus: ergo mens, quamdiu cum corpore copulata est, intellectu perfecte puro non utitur.

*Schol.* Qui de hac veritate dubium movet, propriam conscientiam consulat, suarumque idearum, quas maxime distinctas opinatur, analysis insitit; nae is semper aliquid obscuri, aut confusi deprehendet, cumque eam analysis, quantum fieri potest, promoveat, in aliquid, quod, quid sit, non satis novit, offendet. Ideae nostrae omnium distinctissimae fere illae sunt, quas matheis pura suppeditat: sed tamen nec ipsae omni confusione carent. Quae ideis numerorum distinctiores? At nonne idea unitatis in lapsis latens confusa est? Idea quadrati perquam distincta est; clare enim figuram quadrilateram, aequilateram, rectangulam concipimus; at idea inclinationis duarum linearum, quam idea anguli involvit, confusio quidpiam admixtum habet. Quid quod experientia docet, intellectus quoque operationes a recta sensorii communis, spirituumque animalium constitutione pendere, quemadmodum id de sensu, et phantasia demonstratum est, debilitate enim, languore capitis aliisque cerebri morbis intelligentiae vigor plurimum hebetatur, ac vicissim intensa meditatione cerebrum incalcescit, dolorque capitis saepe concitatur; exercitatio item augetur, non usu torpescit, ut adeo prorsus sit colligere ipsis etiam intellectus operationibus in statu consociationis animi cum corpore certas in

*Storchenau Metaph. Lib. III.*

sensorio communi motiones respondere. Denique cum quaevis ferè intellectus operatio cum signis quibusdam sensibilibus conjungatur, necesse est, ut ideae materiales horum signorum excitentur, atque intellectus functiones perpetuo comitentur.

QUID COGNITIO INTUITIVA, ET SYMBOLICA?

**LXIII.** Fit nonnumquam, ut aliquid cognoscentes ipsarum idearum nobis optime conciliamus, easque velut mentis oculis intueamur: alias vero missis quasi ideis, earumdem duntaxat signa nobis repraesentamus; vel saltem signorum magis, quam idearum nobis conciliamus: hinc duplex cognitionis species. *Intuitiva*, quae, ut Wolfus ait, ipso idearum intuitu absolvitur: *symbolica*, vel *figurata*, cum res aut tantum, aut magis, quam per ideas, signorum ope percipimus. **Coroll. 1.** Quidquid facultate inferiore percipimus, intuitive cognoscimus, concili quippe nobis sumus idearum in mente praesentium sensu, vel phantasia effecturam.

**Coroll. 2.** Intellectu contra tam intuitivo, quam symbolice res cognoscere possumus: quod ipsum experientia confirmat.

**Schol. 1.** Intuitivam habes cognitionem, si noctu coelum serenum aspiciens lunam, et venerem in eodem coeli loco positas videas, vel ita rem imaginando repraesentens, quasi ipsis eam oculis intueris; at si cogites conjunctionem illam esse *situm lunae et veneris in eodem coeli loco* (*Diss. decorn. init. et symb.*), vel signis astronomis id exprimas: ☿ ♀ ☽ neque tamen ipsis lunae, ac veneris idearum tibi concilius sis, cognitio tua erit tantum symbolica. Ceterum nolim quidem cum Gollinglo contendere, omnem nostram cognitionem universalem, et distinctam vocabulis aliisque signis ita niti, ut idea distincta eo momento desinat, quo nulla amplius signa menti occurrunt; id tamen differt non possum, homines rarissime, et brevi solum tempore intellectus intuitivo cognoscere: sed fere sola symbolica cognitione contentos esse; id quod facile quisvis in se experietur, si advertat se vocabula adhibere etiam, cum solum sibi cogitat, quin ad ipsas ideas referat. Hujus rei ratio videtur esse partim consuetudo ab teneris annis adscita, longoque usu roborata, partim summa difficultas multa distincta simul intuenti: est certe difficillimum ad singula mente discreta, quae tamen reapse dividi nequeunt, seorsum eodem, aut successivo tempore attendere, tum etiam eorum aliqua, neglectis ceteris, separate concipere: ubi contra vocabulum quodvis etiam seorsum aliquid significat, et quoddam modo ab aliis, quae enunciarì possunt, separari, nec non cum quibuscumque aliis consociari potest: quare signorum ope ideae universales, ac abstractae et longe facilius concipiuntur, et distinctiores redduntur (*L'Hist. de l'ac. roy. de l'an. 1703. p. 21.*). Atque inde est, quod qui sermonis usu prorsus destituentur, vix ullas intellectus operationes edant, surdique ab incunabulis, ut simul nati sunt, ita intellectu uti minime possunt. Verum id ipsum multis erroribus occasio-

nem praebet; fit enim facile; et saepe, ut cognitione symbolica, quam Boehmius *caecam* vocat, delusi ea etiam quae concipi nequeunt, intelligere nobis videamur, eaque deinde vocabulis profertentes ad inanes logomachias delabamur. Quod ne fiat, sollicitè observanda sunt, quae de recto vocabulorum usu (p. 1. §. 10.) monuimus. Universim errandi periculum optime declinat: *qui, ut ait laudatus auctor, symbolicae adiungens intuitivam illam, redit oculatam* (*Psych. emp. s. i. c. 7. §. 418. n. 3.*). *Symbolicae vero adiungere intuitivam, seu illam ad hanc reducere, est ideam aliquis individui in se excitare, et attentionem successive ad ea dirigere in hac idea, quae datis signis, vel vocabulis indigitantur.* Quemadmodum vicissim eis intuitiva efficitur symbolica; quando ea, quae in idea, quam intulisti sumus, discrevimus, vocabulis, vel aliis signis, ideam ipsam dimittentes exprimus.

**Schol. 2.** Signa quibus in cognitione symbolica utimur, praecipua sunt vocabula, soni nimirum articulata voce prolata: tum litterae, sive figurata partium vocabulorum signa: astronomica item, chymica notae numerorum aliaque ab artificibus usitata, quae omnia compendiariae scriptioni, lectioni, ac cogitationi; cryptographica, quae occultae scriptioni; algebraica, et geometrica, quae imprimis conformandis ideis distinctis, et indagandae veritati inserviunt. *Ars characteristica* ea est, quae exponit usum signorum in significandis rebus: dicitur *combinatoria*, a Leibnitio vero *speciosa generalis*, si simul modum inveniendi, et componendi ejus generis signa doceat: videatur tractatus de arte combinatoria Leibnitij recusus Francofurti anno 1667. Sed ista adhuc in votis sunt; quo etiam *lingua, et scriptura universales*, quam omnes omnium nationum homines intelligere possent, pertinet.

IDEAE UNIVERSALES AD INTELLECTU EFFICIUNTUR.

**LXIV.** *Effectio idearum universalium ad intellectum pertinet.* Omnes ideae, quas habemus, vel sensu, vel phantasia, vel intellectu efficiuntur; sed sensu, et phantasia non efficiuntur ideae universales (§. 7. 8.): igitur intellectus. Accedit, quod ideae universales abstractionis adminiculo efformentur: intellectum vero solum abstrahere posse in aperto est.

**Coroll. 1.** Cum ideae generum, et specierum universales sint (§. 6. §. 10.) consequens est, ut ipsa intellectui originem suam debeant.

**Coroll. 2.** Ans, quod intellectus caret, caret hoc ipso quibusvis ideis universalibus, et generatim omnibus abstractis.

TRES SUNT OPERATIONES INTELLECTUS.

**LXV.** *Omnes intellectus operationes in ideis distinctis, judicium, et ratiocinia recte tribuuntur.* Intellectus, cum sit facultas res distincte repraesentandi (§. 56.), primum informat ideas distinctas: deinde vero vel in iisdem sistit, vel non; si illud; praeter ideam distinctam nihil adest; si hoc tum eas vel conjungit vel separari, atque adeo judicat. Jam porro cum intellectus judicat, vel ideam praedi-

rati in idea subjecti contineri, clare intuetur, vel non: in priorca-  
su iudicium est institutum; in posteriori discursivum, sive ratioci-  
nium (§§. 165. 189. log.). Cum igitur hae sint omnes intellectus ope-  
rationes, patet propositum.

*Coroll.* Tres ergo, nec plures sunt intellectus, sive, ut ajunt, mentis  
operationes, de quibus in logica copiose actum est.

*Schol.* Cartesiani quartam addiderunt, demonstrationem, sive me-  
thodum: verum cum haec aliud non sit, quam ratiociniorum con-  
iunctio, nec novi quidpiam ex ea profuatur, novae, et distinctae ope-  
rationis nomen non meretur; quemadmodum neque regula aurea  
in arithmetica novam speciem constituit.

## CAPUT III.

*De Ratione.*

VERITATES UNIVERSALES CONNEXAE SUNT.

*LXVI. Datur nexus veritatem universalium.* In quovis ratioci-  
nio, cujus effectio ad intellectum pertinet (§. praec.), consequens  
verum est propter antecedens, ac proinde etiam veritas consequen-  
tis connexa est cum veritate antecedentis (§. 125. et cor. 3. log.).  
Praeterea cum demonstrationes, quas longiores etiam confici posse  
tum experientia, tum librorum dogmaticorum inspectio docet, con-  
ducunt, rursus ratiocinia apte inter se colligantur, ut veritas ulti-  
mae consecutionis a veritate omnium antecedentium iudiciorum pen-  
deat; quod quid aliud est, quam veritatum universalium nexum dis-  
tincte ante oculos ponere? Dari igitur veritatum universalium nexum  
dubitari nequit.

QUID RATIO? QUAE EIUS LEX, AC REGULA?

*LXVII. Ratio est facultas veritatum universalium nexum distin-  
cte perspicendi, eaque animae humanae competit.* Etenim veri-  
tates inter se connexae sunt, quatenus in legitimo ratiocinio conse-  
quens verum est propter antecedens (§. praec.); ergo etiam hic nexum  
distincte perspicitur, cum distincte pervidemus consequens verum  
esse propter antecedens, quod fit, cum veritas formalis ratiocinii,  
sive eius cum regulis logicae convenientia distinctae percipitur; sed  
posse mentem nostram convenientiam ratiocinii cum regulis logicae  
distincte perspicere in confesso est: igitur pariter certum est ratio-  
nem animae nostrae competere.

*Coroll. 1.* Cum ratio, dum nexum veritatum universalium perspicit,  
ratiocinia ad regulas exigit, regulae rationis, earumque prin-  
cipium: quae conveniunt cum uno tertio, conveniunt inter se et  
quae non conveniunt cum uno tertio, non conveniunt inter se  
(§. 126. log.): lex rationis recte dicitur (§. 8. sch.)

*Coroll. 2.* Ratiocinia ad intellectum pertinent, quatenus medium a  
veritate cognita ad incognitam; vel saltem nunc non apprehen-

sam, perveniendi; ad rationem vero, quatenus medium nexum ve-  
ritatum distincte percipiendi suppeditant.

*Schol. 1.* Veritati experientia suffragatur: novi, exempli causa, cor-  
pus satis firmum consistere, et a lapsu tutum esse, si lineae cen-  
tro gravitatis demissa intra basim cadat; cum igitur instituto exa-  
mine in turri praecalta, easumque munitate, qualis Pisana est, de-  
prehendo lineam illam adhuc intra basim cadere, iudicio turrim  
non lapsuram, dumque id praesto, nexum veritatum perspicere di-  
cor: negative concludo, quod video negativam conclusionem hinc  
sequi, quare autem non affirmativa sequatur; logicus applicando  
regulam docet.

*Schol. 2.* *Rationis* vocabulum diversas admittit significationes, quae  
tamen huc non pertinent: quatenus huius est fori, facultatem quam-  
piam denotari dubio caret; sed in ea definienda philosophi non  
aeque conveniunt (*El. met. p. 2. def. 2. Not. (B) n. 1.*). Teste  
Antonio Genuesi multis ratio idem videtur significare, quod in-  
tellectus, quod tamen ipse minime probat, putans rationem esse  
determinatum numerum idearum, qui in hominibus sit, res exter-  
nas repraesentantium; inde alit vulgo rectae rationi consentanea  
dici: *quae praesenti numero, et qualitatibus idearum cum no-  
stri, tum eorum, inter quos versamur, consentanea iudica-  
mus; ea vero adversa recte rationi, quae ab his ideis abhor-  
rent* (n. 4.). Verum facile advertit vir eruditus sententiam hanc  
paradoxam videri posse, quod inde consequens sit, ut recta in ho-  
minibus ratio mutationi subijcienda; ideas, et ratiocinium, seu *ma-  
teriem et artem* (n. 6.), tumque aliquid cum recta ratione con-  
sentire, quando et ideae rerum naturae conformatae sunt et du-  
cta inde argumentatio legibus suis consentanea. Contentidit deinde  
rectam rationem toti generi humano communem esse, non quidem  
quoad principia, sed quoad vim solum ratiocinandi, atque longio-  
rem de ea disputationem denique sic concludit: *Ex quibus ego  
conficio, esse communem quamdam toti hominum generi ratio-  
nem. Nam et similis in omnibus natura, ac sensus, et una  
ac uniformis ubique natura rerum, eademque oculis omnium  
objecta, et ratiocinandi facultas omnium: ergo habent homi-  
nes omnes ut eandem semper, et constantem rerum naturam  
sensus subjectam, ita communes quassum, et constantes no-  
tiones. Ex quibus illud efficitur, esse rectam quamdam ratio-  
nem hominum omnium communem. Quod nisi esset, qui fieri  
unquam potuisset, ut aliae cum aliis, lucis, et altimatibus di-  
stantissimis, nationibus societatem inirent, ac commercia  
agiterent? id enim non magis fieri potuisset, quam inter sa-  
nos et insanos, homines, et pecudes, quibus nulla est commu-  
nis ratio. Verum haec, tametsi praecclare dicta, mihi magis in sen-  
sum naturae communem (§. 169. log.), quam in rationem, de qua  
hic agimus, cadere videntur.*

Lockius, postquam diversas de ratione opiniones attulit, subiecit (*Essai phil. concern. l'entendement. lum. liv. 4. ch. 19. In pag. 2. lin. 18.*). *Ego hic intelligo facultatem, per quas homo a brutis differt. Quasi vero non id ipsum in quaestione versaretur, quae nempe, et qualis ea sit facultas. Auctor adnotationum in Theodicaeae Laebnithii docet per rationem saepe intellectum; saepe intellectum simul, et voluntatem; saepissime autem, et fere potissimum tertiam intellectus operationem denotari; vim videlicet, ratiocinandi, ac veritates concatenandi, seu potius ipsum hujus vis exoriturum, et nexum veritatum perspicientiam quo sensu eam vocem Tullius quoque usurpavit (*De off. l. 1. c. 3.*) *Homo enim, quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt, earumque progressus, et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat; rebusque praesentibus adjungit, atque adnectit futuras, facile totius vitae cursum videt, ad eamque degendam praeparat res necessarias. Nec dissimilis ratione alias loquitur (*De nat. Deor. l. 2. c. 59.*). Atque ex his satis manifestum esse opinor, definitionem rationis supra stabilitam a nemine repudiari posse; eam vero et usui communi prae reliquis accommodatam esse ita Boehmius evincit (*Psych. emp. s. 1. c. 1. §. 147. schol.*). *Etenim si quis non alias suscipit actiones, quam quae ad felicitatem ejus conferunt, rationem actionibus suis is demonstrare dicitur: ejusdem vero defectum alter, qui se ipsum in calamitatem dat praecipitem. At ex illius actionibus patet eum perspexisse nexum rerum cum evidentibus: ex actionibus hujus vero eum dictum nexum non perspexisse (*Discors. de la conform. de la foi avec la rais. §. 2.*). Neque vero Leibnithius a nobis dissidere putandus est, cum rationem vocat *veritatum catenam*; facile enim intelligitur rationem ab ipso *objective* sumtam fuisse, cui ratio *subjective* spectata respondet, quae aliud esse nequit, ac facultas eam catenam distincte perspicendi, qua ratione ad ipsum laudatus adnotationum auctor interpretatur.***

QUAE RATIONIS QUANTITAS?

LXVIII. Ratio est eo major, quo plurium veritatum nexum, et quo distinctius et facilius eundem perspicit, infinita igitur est, quae omnium veritatum omnes possibiles nexum distinctissime, ac facillime pervidet, qualem nostram non esse sensu intimo novimur.

Coroll. 1. Quo major est numerus veritatum, quarum nexum distincte cognoscere potest, eo major est rationis quantitas materialis (§. 57. schol.).

Coroll. 2. Quo facilius, et distinctius veritatum nexum perspicere potest, eo major est illius quantitas formalis (§. cit.).

QUAE SAGACITAS — ET SOLIDITAS?

LXIX. *Sagacitas* est facultas promte, et facili modo inveniendi ideas medias, quarum ope aliarum nexum distinctae perspicit, ac ratiocinia conformari possint.

LXX. *Soliditas* est facultas promte, et facili modo inventas ideas medias tali ordine, et ratione disponendi, ut inde earum inter se, atque adeo etiam veritatum nexum in progressu quoque longioris polysyllogismi, quam fieri potest, distinctissime reluceat.

Coroll. Sagacitas igitur, et soliditas ad magnam rationis quantitatem formalem pertinent; sunt adeo diversae illius determinationes.

Schol. *Solidum* vulgo dicimus, qui in comprobandis suis assertionibus eo progreditur, ut ad summam, quae quidem obtineri potest, evidentiā pertingat, nec umquam aliquid asserit, nisi quod demonstrare possit; istud autem per rectam idearum mediarum dispositionem effici in aperto est. Qui igitur soliditatem definiunt per facultate distincte ratiocinandi, et ratiocinationum colligationem instituendi, eamque propterea immediate ad intellectum revocant, non satis accurate discernere videntur, quid in eodem exercitio intellectui, quid rationi tribuendum sit.

QUID SECUNDUM, SUPRA, CONTRA RATIONEM?

LXXI. *Secundum rationem*, vel *ratiōi consentaneum* est, quidquid in connexion veritatum continetur, sive quidquid cum aliqua veritate connectitur: istud vero duplex est; vel enim ea connectio a nobis via naturali, et a ratione sibi relicta cognosci potest, vel non: in priori casu veritas cadit sub captum rationis naturalis, ut: *Deus est aeternus, quae veritas connectitur cum hac, Deus esse ens necessarium*. In posteriori casu veritas captum rationis naturalis exsuperat, proptereaque nominatim *supra rationem* esse dicitur, ut; *mysterium SS. Triadis, Incarnationis. Contra rationem* vero illud est, quod vel uni veritati nobis notae contradicit; ut: *plures Dii existunt: anima est corruptibilis*.

Coroll. 1. Omnis propositio vel per se, vel per demonstrationem evidens est rationi consentanea; est enim vera, et verum vero nunquam opponitur.

Coroll. 2. Aliud est esse *supra*, et aliud *contra* rationem: quare si quidpiam intelligere nequeamus, non continuo inferre licet, illud contra rationem esse.

Coroll. 3. Quo quis minore rationem habet, eo plura, sed tantum comparate ad illum, supra rationem sunt; unde, cum angelica ratio major sit, quam humana, multa sunt supra rationem humanam, quae non sunt supra angelicam, pessuntque aliqua supra omnem creatam rationem esse.

Schol. Nimirum cum aliquid cum veritatibus aliunde nobis notis convenire perspicimus, continuo pronunciamus illud *nostrae rationi consentaneum* esse; cum vero quidpiam cum veritatibus antea cognitis pugnare advertimus, aimus id *ratiōni nostrae contrarium* esse; cum denique neutrum horum perspicere elucet, id saltem nunc *supra rationem nostram* esse affirmamus. Sic theorematum geometrica eorum rationem superant, qui in geometria plane rudes sunt; mysteria castissimae religionis sunt supra rationem

omnium hominum: aliqua etiam supra omnem rationem creatam, Pari fere ratione possum asserere, illud esse *contra meam rationem*, quod cum propositionibus, quas meus intellectus nunc in verissimis habet, pugnat, illudque *contra rationem omnium hominum* esse, quod iis enunciationibus opponitur, de quarum veritate nullus homo, nullo unquam tempore, nulla in regione dubitavit, vel quae secundum generalem naturae cursum non verâ esse non possunt. Verum proprie et stricte loquendo, illud est *contra rationem*, quod veritatibus aeternis, et absolute necessariis contradicit; cum enim veritas absolute necessaria non est, neque ejus oppositum absolute falsum ac impossibile, nec proinde omni rationi contrarium est: improprie igitur, ut quam modestissimè dicam, loquuntur ii, qui nostrae religionis mysteria, et miracula contra rationem esse pronunciant; verius enim, et magis proprie ea solum rationem nostram exsuperant. Discrimen istud inter veritates metaphysice, et physice certas hoc loco summi esse momenti recte Leibnizius (*Disc. de la conform. de la foi avec la rais. §. 23.*) contendit, et vehementer miratur illud a philosophis perspicacissimè ceteroquin ingenii, quibus Baylium adnumerat, neglectum fuisse; inde concludit, illud duntaxat *contra rationem* esse, quod cum veritatibus metaphysice certis pugnat; illud vero *supra rationem* esse, quod iis opponitur, quae communiter et intelligere, et experiri solemus, sive, quod idem est, quae veritatibus solum physice certis contradicunt. Rationem asserti in eo constituit, quod ea solum veritas rationem supgrare putanda sit, quam nullus intellectus creatus, aut saltem humanus assequi possit. Denique sollicite monet, ne rationem in sermonibus, et opinionibus hominum quibuscumque, aut in eorum aptitudine, usu, et exercitatione comparata, de rebus secundum generalem naturae cursum judicandi; sed solum in immutabili veritatum catena sitam esse arbitremur.

## RATIO NEMINEM FALLIT.

LXXII. *Ratio per se neminem in errorem inducit.* Cum ratio facultas sit veritatum nexum distincte perspicendi (§. 67.), idque eatenus obtineatur, quatenus conclusio vera ex praemissis veris legitime deducta distincte pervidetur (§. 66.), necesse est, ut qui rationem docem sequitur, ejusmodi conclusionem, quae ex regulis logicae falsa esse nequit, veram esse putet; atqui talis minime errat: igitur ratio per se neminem in errorem inducit (*M. Manil. l. 1. v. 133.*). Nam neque decipitur ratio, nec decipit unquam.

*Coroll. 1.* Si quis ergo ratione utens in errorem prolabatur, is ea male utitur: quod fere anticipatis opinionibus, depravatis animi affectionibus, et praecipitantiae, ob quam rationiorum leges negliguntur, tribuendum.

*Coroll. 2.* Divisio rationis in rectam, et non rectam, sanam, et insanam ridicula est, et cum legibus logicae pugnat: quare cum quandoque rationem rectam, aut sanam dicimus, id emphasis gratiosum fieri putandum est.

*Schol.* Agitata erat olim quaestio, quam hodie nonnulli suscitatum cuperent, utrum, quae rationem exsuperant, eidem opponantur, seu, ut illi quidem astant, an fides repugnet rationi, ac theologia philosophiae, unde consequens foret rationem, errori obnoxiam esse. Qui Averroen commentatorem in Aristotelem *xxx. seculo* in Italia prorsus sequebantur, fidem cum ratione pugnant, dice Pampontatio, palam professi sunt, dum enim ipsorum iudicio omnia Aristotelis dogmata non possent non esse verissima; ipse vero animam humanam corruptioni obnoxiam esse docuisse putaretur, quod sana theologia respuit, eo devenerunt, ut animam humanam philosophice mortalem, theologicè vero immortalem esse contenderent. Continuo doctrina haec valentissimas tacta est adversarius; ipse Summus Pontifex Leo X. eandem in concilio ultimo Lateranensi condemnavit, praeciens simul omnibus philosophiae doctoribus, ut in discordia, quae philosophiam inter, ac theologiam intercedere videretur, penitus eliminanda omni opera, ac diligentia entantur. At vero hoc ita fulmine concidit quem opinatio isthæc, extirpata minime fuit; habuit certe ab eo inde tempore fautores suos, tametsi potissimum oculos; interjecto enim paucorum annorum spatio erroris hujus accusatus est Caesar Cremonensis celebrissimus eorum temporum philosophus cum Andrea Caesalpino medico, contra quem Nicolaus Taurellus librum, *Alpes caesae*, exaravit; Claudius quoque Berigardus, qui primus Pisae in Italia, natione quidem Gallus, philosophiam publice professus est, in *circulo pisano* (ita opus suum inscripsit), eundem non obscure defendit. In Hollandia Ludovicus Mejerus medicus Amstelodamensis edito circiter annum 1666; libro, quem *philosophiam scripturæ interpretem* vocari voluit, eam litem instauravit (*Dict. crit. art. Manich. rem D. Item resp. au prov. t. 3. p. 225. Ar. Pyrrhon. Art. Sociniens*). Sed modum omnem, ut fere solet, praetergressus est Baylius: rationem ait humanam principium destructionis esse, non aedificationis; non servare eam, nisi ad accumulanda dubia, et ad disputationes in aeternum continuandas; alias consilienter pronunciat veritates fidei invictis objectionibus oppositas esse, aequivoocationem latere in celebri illa distinctione inter ea, quae supra sunt, et contra rationem, ac fidei nostrae mysteria esse regisse contra nostram rationem (*Exam. de la theol. de M. Bayle p. 420.*). Sed egregie respondet Jaquelotus: *Ratiocinium Baylit est falsissimum; nam quamvis nostra ratio se nequeat porrigere ad excelssitatem rationis supremæ, quae in Deo inest; illa tamen intelligentiae et rationis portio a Deo nobis donata, utcumque parva sit, summæ rationi contraria esse non potest. Inde certe manifeste sequeretur, Deum esse unicam errorum nostrorum causam, cum falsum pro vero accipimus, aut verum pro falso rejicimus, eo quod rationi nostrae contrarium appareat, etiam tum, cum ratione nostra recte utimur.* Verissime ista dici vel inde apparet, quod ratio non minus, quam fides, Dei sit donum;



illa nimirum est lumen quoddam naturale a Deo ut auctore naturae: haec lumen supernaturale a Deo ut auctore gratiae nobis impartitum: unde, si si res rationi opponeretur, consequens foret, ut Deus secum ipso pugnet, ipseque, vel ut naturae, vel ut gratiae nos fallat, quorum neutrum cum infinita illius perfectione congruit. Ratio igitur nec quemquam per se in errorem inducit, nec cum fide pugnat; sed ubi illa desinit, haec incipit: ea nempe fidei lumen manifestat, ad quae ratio sibi relicta veritate longissime removeri, qui cum Socinianis contendunt, nihil credendum esse, nisi quod ratione naturali intelligi possit. Duo hi scopuli philosopho diligentissime cavendi sunt, nisi in gravissimos errores praecipis ire velit, uter eorum periculosior sit, difficile dicto: uterque certe religioni quam maxime infestus est. Qui rationem nimis deprimit, eamque erroribus obnoxiam esse pronunciant, necessarium religioni fulcrum subducent; qui vero rationem aequo amplius extolunt, omnem fidem divinam evertunt: quare, si umquam alias hinc profecto locum habet illud: in medio tutissimus ibis (T. 2. lett. 3. *suiv.* t. 3. lett. 1. *suiv.*). Sed de his copiosius disserendi in theologia occasio recurrit. Vide quoque *la religion vangée.*

QUID RATIONIS ANALOGUM?

LXXIII. Cum veritates singulares percipiunt, fit nonnumquam, ut eas inter se connexas cognoscamus, quin tamen ipsum earum nexum, sive modum, quo inter se cohaerent, distincte perspicimus: inest igitur in nobis facultas quaedam nexum veritatum quarumdam singularium confuse percipiendi, quam *rationis analogum* hodie philosophi vocant, ut enim in aliis cum ratione convenit, ita in aliis ab ea distrepat.

*Coroll.* Cum veritates singulares facultate cognoscendi inferiore percipiuntur, ad eam rationis analogum pertinet: quare illi quoque enti competere potest, quod illis solum gaudet.

QUID EXPECTATIO CASUUM SIMILIIUM?

LXXIV. *Expectatio casuum similium* est expectatio ejusdem iterum eventus propterea, quod eadem adjuncta, quae olim illum praecesserunt, adsunt, *ut si montem caecium nebula contextum videas, ideoque expectes pluviam brevi secuturam.*

QUOMODO PERFICITUR?

LXXV. *Expectatio casuum similium sensu, phantasia, atque memoria, nec non facultate fingendi perficitur.* In expectatione casuum similis primo praesentia adjuncta percipiuntur, id quod sensus praestat, tum phantasia reproducit eadem adjuncta cum eventu, quem olim praecesserunt; memoria vero illa recognoscit, esse nimirum eadem, quae nunc adsunt; denique facultas fingendi eventum alias cum illius adjunctis perceptum connectit cum adjunctis praesentibus: igitur patet propositum.

*Coroll.* Patet igitur expectationem casuum similium ad inferiorem cognoscendi facultatem pertinere, adeoque sine intellectu, rationisque exercitio haberi posse.

INVOLVIT RATIONIS ANALOGUM.

LXXVI. *Expectatio casuum similium rationis analogum involvit.* Ut enim facultas fingendi eventum cum hisdem adjunctis olim perceptum cum adjunctis nunc recurrentibus, ac praesentibus conjungat, necesse est, ut nexus inter eventum, et haec adjuncta saltem confuse cognoscantur; atqui istud rationis analogum praestat (§. 73.); ergo ad expectationem casuum similium rationis analogum requiri in aperto est.

*Coroll.* Similiter expectatio casuum similium aliquod ratiocinii analogum involvit, phantasia enim velut majorem efficit: *olim in his adjunctis hoc evenit; sensus minorem; sed nunc sunt haec adjuncta; facultas denique fingendi conclusionem: ergo hic eventus rursus eveniet.*

*Schol. 1.* Qui secundum expectationem casuum similium actiones suas moderatur, facta olim in casu simili imitantur; qui vero rationem vitae normam constituunt, quid fieri oporteat, ratiocinando colligunt; *hi rationales: illi empirici* dicunt. Ceterum per se clare est, tam rationis, quam ratiocinii analogum specie differere a ratione et vero ratiocinio, quemadmodum confusa cognitio a distincta diversa est.

*Schol. 2.* Haec de facultatibus cognoscitivis animae nostrae. Sunt itaque facultates inferiores sensus (§. 15.), phantasia (§. 24.) facultas fingendi (§. 26.), memoria (§. 39.), analogum facultatis attendendi, abstrahendi, et reflectendi (§. 55. *schol.*), analogum ingenii (§. 59. *sch.*), et rationis (§. 73.). expectatio denique casuum similium (§. 47.). Hic Baumgartenus (*Met. p. 3. c. 1. §§. 572. 595. 607. 619.*) perspicaciam, praevisionem, iudicium sensitivum, sive gustum significatu latiori, et facultatem characteristicam adjungit, quae per sese facile intelliguntur. Superiores deinde facultates sunt facultas attendendi, et abstrahendi (§. 49.), facultas reflectendi (§. 52.), intellectus (§. 56.), ratio (§. 66.), ac memoria intellectualis (§. 48.). Haec porro facultates non ita nobis a natura tribuuntur, ut non culturam quampiam admittant, quin etiam postulent. Collectio legum, ex quarum praescripto eam culturam adhibere oportet, scientiam constituit; inde oritur; primum logica, quae concurrente metaphysica, totam generatim cognoscendi facultatem; deinde aethetica, quae proxime solum inferiorem excolit, proptereaque recte *logica facultatis cognoscitivae inferioris* nuncupatur. Praestantissima haec scientia, cum regulas pulchre cogitandi, cogitataeque elegantibus signis exprimiendi continet, principia generalia omnibus studiis mansuetioribus, ac liberalibus artibus subministrat: eamque debemus viris celeberrimis Alex. Theophilo Baumgarten, ac Georg. Friderico Major; prior enim, quaecumque tum

olim ab Aristotele, Tullio, Quintiliano, Horatio, Longino; tum recentius a Patribus Bouhours, André, et Buffier & S. J. a Rollino, Preitingero, Bodmero, aliisque de arte pulchre cogitandi disperse tradita sunt, in unum systema collegit, novisque inventis mirum in modum locupletavit (*Aesthetica Anfangs, grunde aller schonen Wissenschaftens.*): posterior vero opus illud eruditus commentationibus illustravit.

## CAPUT IV.

*De Habitibus Generatim.*

QUID EXERCITIUM, NATURA INESSE, ET ACQUIRI?

LXXVII. *Exercitium* est continua, aut saltem frequens data occasione earumdem actionum repetitio. Quod enti absque praevio exercitio inest, *natura inesse*; quod vero per illud obtinetur, *acquiri* dicitur.

FACILITAS EXERCITIO OBTINETUR.

LXXVIII. *Facilitas actionem quampiam producenti exercitio obtinetur.* Constanti certe experientia notum est, eo facilius actionem determinatam a nobis effici, quo plures occasiones ejus producendae redeunt, et quo pauciores ex iis negligimus: ergo facilitas actionem quampiam producenti frequenti ejusdem repetitione, id est exercitio, obtinetur.

*Coroll.* Igitur facilitates agendi animae nostrae natura non insunt: sed acquiruntur, eoque majores sunt, quo majus est exercitium, si-ve actionum earumdem repetitium numerus.

QUID HABITUS?

LXXIX. *Habitus* est facilitas actionem producenti; qui proinde natura non inest, sed acquiritur; seu praevio exercitio obtineri debet. *Schol.* Sermo mihi est de habitibus naturalibus, eorumque nullum ingenium esse cum Aristotele defendo (*L. 2. Nichomach.*). Quod ad habitus supernaturales pertinet, eos et ingenitos et infusos esse posse ex sanioris theologiae praescripto facile admitto; habet enim Deus eam in nos, naturamque nostram potestatem, ut uno quasi momento conferre possit, quod nos longo solum tempore, et difficili exercitatione consequi possumus.

FACULTAS NATURA INEST.

LXXX. *Nulla facultas agentis acquiri potest.* Quidquid acquiritur, praevis exercitium in frequenti earumdem actionum repetitione positum praeracquirit (§. 77.); atqui nisi jam adsit facultas agendi, actiones nec poni, nec repeti possunt (ont. §. 130. 131.): igitur ante omne exercitium facultas agendi existat, necesse est, ac proinde non acquiritur.

*Coroll. 1.* Animae igitur natura inest facultas agendi ea, ad quae facile efficienda ipsa sese exercere potest.

*Coroll. 2.* Atque ideo habitus non sunt novae agendi facultates, ut Genuensis, alicque plures cum veteribus peripateticis contentundum.

HABITUS AD QUANTITATEM FORMALEM FACULTATUM PERTINENT.

LXXXI. *Habitus sunt determinationes quantitatis formalis facultatum agendi.* Eo major est quantitas formalis ejusvis facultatis agendi, quo facilius ipsa actionem efficere potest (§. 57. sch.): ergo facilitas actionem efficiendi est determinatio ejus quantitatis formalis; atqui habitus agendi facilitates sunt (§. 79.): igitur et habitus ad determinationes quantitatis formalis facultatum agendi pertinent.

QUOTPLEX HABITUS?

LXXXII. Tot, tamque diversi in me habitus esse possunt, quot, tamque diversae sunt actiones, ad quas facilius producendas ope facultatum mearum exercere me possum. Inde multiplex habituum divisio: actionum aliae magis ad mentem; aliae magis ad corpus pertinent; unde habitus *mentales*, et *corporei* oriuntur. Actiones deinde magis ad animam pertinentes vel a facultate cognoscitiva, vel ab appetitiva, et volitiva proficiscuntur; illarum facultates vulgo habitus *intellectuales*; harum *morales*; et nominatim, si ad bonum, *virtutes*; si ad malum tendunt, *vitia* cognominantur.

*Coroll. 1.* Facilitates igitur continuo exercitio acquisite sentendi, imaginandi, recordandi, attendendi, abstrahendi, reflectendi, ideas distinctas conformandi, veritatum denique universalium nemum distincte perspicendi, generatim, et neglecto, ut vulgo fit, discrimine inter superiorem, et inferiorem facultatem, habitus intellectuales sunt.

*Coroll. 2.* Nominatim acumen, profunditas, ingenium (§§. 51. 58.) habitus sunt, qui proxime ad intellectum, sagacitas vero, et soliditas (§. 69. 70.) habitus sunt, qui proxime ad rationem pertinent. Quis porro hi instructus facillime, et prontissime omnes intellectus operationes efficit; habitus hi facillitatem utendi intellectu constituunt.

*Schol. 1.* Ex dietis colligi potest, quid de eorum opinione sentendum sit, qui nullum habitum a memoria diversum admittere volunt, quorum sententiam amplectitur Joannes Clericus (*Pneum. s. 1. c. 4. n. 19.*), et ex parte etiam Antonius Genuensis (*Elem. met. p. 2. pr. 54.*); etsi enim memoria necessarium quoddam omnium habituum instrumentum sit, ea tamen sola omnem habitum constituit vero nequaquam simile est.

*Schol. 2.* *Habitus corporeos* quadam ratione ad animam quoque pertinere inde certum videtur, quod actiones illae corporis, quarum exercitio acquiruntur, ab anima proficiscantur. Sed et habitus mentales quodam modo ad corpus spectare dubio caret, cum omnes animae cum hoc corpore copulatae actiones certi in sensorio communi motus comitentur, quae omnia partim ex adhuc dietis; par-

tim ex infra dicendis manifesta sunt. Omnes igitur habitus nostri animi simul sunt, et corporis; neque mirum; eorum enim sunt, quorum frequentii actionum repetitione acquiruntur; acquiruntur autem exercitio actionum tam mentis, quam corporis simul, sive potius hominis, qui ex corporis, et animi conjunctione exsurgit. At jam vero, in quo habitus, quantum ad corpus, proinde constitutendi sint, nonnulli quaerunt: apte his Malebranchius respondet (*Recher. de la verit. liv. 2. p. 1. ch. 5. v. 1.*): *Observandum est, spiritus animales vias, per quas ipsis transeundum est, satis liberas, aptasque non invenire; unde fit, ut ex. gr. aegre moveamur digitos ea celeritate, quae ad pulsanda instrumenta requiritur, aut musculos pronuntiationi inservientes, cum voces linguae peregrinae pronuntiare volumus; sed paulatim spiritus animales fluxu continuo aperiunt, et planas faciunt vias illas, adeo, ut temporis successu nullam patiantur vim, aut difficultatem. In hac autem promptitudine, qua spiritus animales per membra corporis transeunt, consistunt habitus; id quod optime congruit cum iis, quae supra de memoria (§. 42. sch.) et phantasia (§. 31. sch.) dicta sunt. Quod si deinde eadem questio transferatur ad habitus, quantum ad mentem pertinent, id quidem certum est, eos esse determinationes quantitatis formalis facultatum agendi, quibus anima instructa est (§. 81.); sed num praeterea in quadam animae modificatione, et quidem constante, ac perdurabili consistant, de finite dici nihil potest; neque enim, ut quidam arbitratur, id genus modificationes in ente simplici repugnare videntur, neque easdem in anima existere ab omni veri specie abhorret, cum hac ratione facilius intelligatur, qui fiat, ut mens soluta corpore ratiocinandi, recordandi, aliosque similes ante comparatos retineat. Quid vero illa modificatio sit, is dixerit, qui reconditam animae naturam intime perspexerit, quod ergo supra humani intellectus vires pono.*

HABITUS USU ROBORATI NON DEBILITANTUR.

LXXXIII. *Omnis habitus continuo usu intenditur; contra vero ejus usu longiori tempore intermisso debilitatur, et tandem penitus amittitur.* Imprimis enim qui ex habitu agit, sive habitu utitur: ille frequentius easdem actiones repetit, ac proinde majus habet exercitium (§. 77.); sed quo majus est exercitium, eo major facilitas, quae habitum constituit (§. 79.), obtinetur (§. 78. cor.); ergo omnis habitus continuo usu intenditur. Deinde habitus saepe debilitari, aut penitus amitti experientia docet: sed id non fit constanti ejus usu; ergo non usu: id est, usu intermisso habitus debilitatur, aut penitus amittuntur.

*Coroll. 1.* Cum actiones habitui jam comparato contrarias exercemus, easque exercitio repetimus, eo habitu diu non utimur: igitur etiam habitus per actionum contrarium exercitium debilitatur, et tandem amittitur.

*Coroll. 2.* Quia potro per ipsum hoc contrariam actionum exercitium habitus priori contrarius acquiritur, patet universe fieri posse, ut habitu uno amisso alterum contrarium acquiramus, minoremque a majori, si secum collidantur, supprimi, ac etiam extingui. *Schol.* Atque ex his, quae adhuc de habitibus allata sunt, facile explicatum habent reliqua, quae de ipsis quotidiana experientia docet; qualia sunt: facilius infantes, ac pueros, quam aetate provectiores nos sibi habitus comparare; habitus eam quandoque firmitatem adipisci; ut in alteram, quod dici solet, nostram abeant, quam licet expellas furca, tamen usque recurrit; citius obtineri habitus earum actionum, quarum exercitium dum voluptate aut intensiore quadam affectione, vel etiam majore solum animi attentione conjungitur; tum et illos, qui plus phantasia, et corpore nituntur, quam mente, et sexcenta alia; quo et illud pertinet, debiliores fere esse habitus ceteris paribus, quo plures in uno nemine concurrunt, quae ex re, ut sapienter ait Genuensis, moniti esse debent, qui egregii, et excellentes in facultate aliqua esse cupiunt; ut ne pluribus animum intendant (*Elem. met. p. 1. prop. 36.*); nullo enim modo finita naturae nostrae vis omnibus esse par potest. Et quemadmodum si eidem solo plura, quam ferre possit, semina commiseris, detrahes omnibus alimentum; ita pluribus intentus animus mediocriis quidem esse in illis potest, summus non potest. Atque haec de facultate cognoscendi dicta sufficiunt.

SECTIO II.

DE FACULTATE APPETENDI, ET AVERSANDI.

QUAE SECTIONIS SUMMA?

LXXXIV. Facultatem appetendi, et aversandi circa bonum duntaxat, et malum versari, ejusque actus cum voluptate, aut taedio perpetuo conjunctos esse deinceps apparet: quare ut recte, atque ordine progrediar, agam primum de voluptate, et taedio, bono, et malo, tum de ipsa appetendi facultate; denique pauca quaedam de affectibus subjungam.

CAPUT I.

De Voluptate, et Taedio, Bono, ac Malo.

QUID VOLUPTAS, TAEDIUM ET STATUS INDIFFERENTIAE?

LXXXV. *Voluptas* ea animi affectio est, quae oritur, cum vel in nobis, vel in objecto quovis percepta perfectiones adesse intuitive (§. 63.) cognoscimus; ita voluptate perfunditur, qui sibi egregiam virtutem, aut scientiam inesse agnoscit. *Taedium* contra opposita est affectio, quae ex intuitiva imperfectionis perceptione na-